

20.437

Thom. Smot. et A. Vesperina

~~C.~~ Die fo. hor. Smot. et A. resp.

970

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible handwritten text or markings at the top of the page]

[Small, dark handwritten marks]

[Small, dark handwritten marks]

[Small, dark handwritten mark]

Foll. 20.437
DISCEPTATIO PUBLICA

RELIGIONIS DOGMATA ALIQUA,

SCHOLAE PLACITA NONNULLA,

SELECTASQUE

HISTORIAE ECCLES. PROPOSITIONES

COMPLECTENS

H A B E N D A

A D. SALVATORE SANTO,

ET CASANOVA,

Philosoph. Mag. in Orcelesi Collegio Seminario
Immaculatae Deiparae Sacrae Theolo-
giae candidato.

CUI PRAESES ADERIT

Dr. D. FRANCISCUS GARCIA,

ET VERDÜ,

In eodem Seminario Philosophiae olim, mo-
dò Sac. Theolog. Professor.

PALAESTRAM ORIOL. TEMPL. SS. VV. JUSTAE

ET RUFINAE.

DIE 10 MENSIS *Junii* ANNI MDCCLXXV.

Cum licentiis necessariis.

Murciae: Apud PHILIPPUM TERUEL: Via Lintearia.



DISCEPTATIO

DE

ALPHONSO

SELECTISSIMO

HISTORIAE

COMPILATIONE

W. B. W. D. N.

A. D. S. A. T. O. R. H. S. A. N. T. O.

ET

ALPHONSO

ALPHONSO

ALPHONSO

ALPHONSO

ALPHONSO

ALPHONSO

ALPHONSO

ALPHONSO

ALPHONSO

ALPHONSO

ALPHONSO

ALPHONSO

ALPHONSO

ALPHONSO





AUGUSTISSIMAE
ANGELORUM IMPERATRICI,
DEIQUE MATRI
SACRO-SANCTÆ MARIAE
JUSTITIA ORIGINALI,
cunctisque gratiae semper mu-
nitae donis.

T
E

Virginem plurium Nominum,
S. Epiphanius;
Sigillum veteris, novique Testamenti,
S. Germanus;
Dominam decies millenis honorum
Dig-

Dignam vocabulis,
Devotissimus Patrum coetus;
Et jure , & merito nuncupavere.

Quid mirum?

T U,

Doctrinae disciplinae Dei summa
Facto enim non verbo ; imo Verbo
Nec creato solum , sed increato
Praedicavisti.

Pulchrae sunt genae Tuae , sicut turturis;
Origineae fel labis , ut ille corpore,
Mente haud cognovisti.

Libani Turris Damascum contra respiciens
Diaboli adversus castra erecta:

Eburnea verè in Sanctimoniae exemplum
Cunctis proposita

Singulis in pugnae praesidium

Circumposita

Omnibus in gloriae spectaculum

Super-

Superposita:

Universis legitimè certantibus in praemium

Reposita.

T U

Navis à Divina constructa Trinitate,
Omnium virtutum firmitate compaginata,

Cujus Institutor Spiritus Sanctus,

Qui

T E

Gubernavit , & oneravit abundè
Sapientiae auro , eloquentiae argento,

Pomis sanctae opinionis odoriferis,

Cibariis omnium Scripturarum,

Inedia mundo pereunte.

Panem de longe portasti:

Quia de Coelo Panis Angelorum venit,

Et in uteri TUI virginalis clibano

Fuit coctus

Spiritus Sancti Igne.

Ven-

Ventorum rabies TE potuit allidere nulla;
Quippè quae cum aëris potestatibus
Invictissimè lauris mille praeliare,
Terribilis ipsis Doemonibus
Ut castrorum acies ordinata.

TIBI IGITUR VIRGINI FOECUNDAE,
fidissimae Alumnorum Protectrici Tuorum,
haec sistit Theologica placita, Tuo
condecoranda fulgore, firmanda praesidio,
patrocinio tuenda.

Haud uno Tibi devinctus jure,

Salvator Santo, &

Casanova.

AD

AD LECTOREM

paucula.

EN Tibi ob oculos ponuntur,
Lector humanissime, unius anni la-
bores, quibus testatum volumus,
quos, quantosque è Sac. Theologia
fructus hoc anno reportaverimus.
Publicum hocce vigiliarum nostra-
rum testimonium Illmus. juxta ac
vigilantissimus Praesul noster quo-
tannis à nobis exigit, quibus cum
nihil cordi magis, quàm ut ejus vo-
tis per omnia satisfaciamus, publi-
ci discriminis periculum adire non
dubitavimus, sperantes fore ut er-
rata nostra aequo animi portes, vel
sal-

saltem levi corrigas manu , dum
nos meliora in futurum annum pa-
ramus. Interim quod ad hujus opel-
lae dispositionem attinet , eo or-
dine cujuscumque tractatus propo-
sitiones exarare libuit , ut primo lo-
co Dogmata cuncta illius , deinde
Scholae occurrerent placita ; posi-
tiones verò Historicas ei ex praefa-
tis subjecimus , quam proprius at-
tingit , seu propriè afficit. Ad
rem.

EXIS-



EXISTENTIA DEI, NATURA, & Attribute.

D O G M A T A.



IVINI Numinis existentiam Athei solum, monstra potius, quam homines, impie inficiati sunt, Creatori injuriosi atque blasphemii. Hinc veritati huic adeo splendidae adversa adsertio non aliunde nasci putanda, quam ab ingenio debili, deliro, brutescente, furoris impetu acto, atque res omnes, earum-

que notiones sus deque permiscente. Nec *Atheistam* quempiam fieri posse cum Baelio putamus, nisi ab animo lymphato per vim tractum. Et hi *Spiritus fortes* adpellantur!

II. Praecedenti errori è regione opposita est Polytheorum dementia puros, putosque homines, puras, putasque creaturas sibi in Deos, Deasque coacervantium, ac in varias classes distribuentium. Haec fuit Idololatræ illa superstitione, quae totum pene orbem post diluvium pervaserat, quaeque ab avaris aulicis defensa, à regibus protecta, carmine à poetis celebrata, atque à gentibus caeco furore percitis disseminata, puram, castamque Religionem è medio tollere conabatur. Sed *Deus si unus non est, non est.*

A

III.

III. Abeat quoque in malam crucem *Primogenitus diaboli* Marcion duo nobis venditans principia summa, unum bonum, malum alterum. Eis adsentientes Manichaeos facimus teruncii.

IV Est Deus simplex omninò, nec fas est aliquid, quod compositionem sonet, in eo admittere, seu ex quo ipse componatur, seu in cuius compositionem ipse tanquam pars veniat.

V. Somniavit dubio procul David de Dinando, dum Deum primam mundi materiam non erubuit adpellare.

VI. Pinguissimo huic errori, dixeris potius Platonico Enthusiasmo, affine valde est Benedicti Spinosae deliramentum de *unica mundi substantia*, quod caput est systematis sui splendidissimi ineptiis consarcinati, ex quo, tanquam ex lutulenta hara, tot pudenda Atheorum monstra prodire.

VII. Quisquis Deum ipsum praesumpserit corporeum, seu Anthropomorphon, cum Aadianis, seu Anthropomorphitis crasissimo errore volutatur.

VIII. Sociandus iis Afer Tertulianus? Scriptorem hunc nobilitate ac litterarum splendore clarissimum, illis etsi proximus videatur, non tamen erit difficile à labe purgare, aut saltem ostendere, errorem ejurasse.

IX. Quamquam Dei majestas supra cuncta sublimis à nobis cogitari possit, à nullo verò effari. Est ergo ineffabilis, Eunomiane.

X. Perfectissimus est Deus, omniumque rerum in se continet perfectiones, licet non omnes ex aequo. Si igitur creaturas omnes cum Deo jungas, non aliquid efficies perfectius, quam ille sit solus.

XI. Est Deus infinite bonus, est summum bonum; taleque per essentiam esse, ei soli convenit, sicut & infinitudo.

XII. Immensitatem Deo tribuamus oportet, ejusque ubique secundum substantiam praesentiam.

XIII. Immutabilem Deum dicimus, affectionumque nescium, idque ei uni convenire.

XIV. Aeternus quoque est Deus, nec aeternitate ejus
ali-

aliqua creatura potitur. Est immortalis, bonorum auctor, principium, caussa, finis, rex, summus dominus, à se beatus: Sed quid ego stultus, singulas Dei perfectiones numerare pergo? noscit singulas ille solus.

XV. Innumera supremi Numinis attributa unum quid sunt in re indistinctum omninò. Scholae verbis: non distinguuntur à parte rei. Noscis inde, pro meritis vapulasse à melifluo Bernardo Gilbertum Porretanum.

SCHOLAE POSITIONES.

I. **H**Aud est nobis innata Dei notio, & idea: unde enuntiatio ista haec, *Deus existit*, quamquam in se nota sit, non tamen quoad nos.

II. Non per caussam aliquam, sed ex effectis dumtaxat Deus nobis innotescit.

III. Argumentum illud, quod nobis aperit motorem primum stabilem, sine quo concipi nequeunt motus illi, quos in natura, quae per se iners est, videmus, publicum semper fuit, sensibile, splendidissimum, aptissimumque ad vincendos pervicaces, hebetioresque.

IV. Argumentum aliud, quod nos velut manu ducit, cogitque, ut fateamur, esse caussam primam rerum omnium creatricem, firmissimum quoque est, invictissimumque.

V. Illud etiam, quod ex consideratione entium contingentium, & mutabilium nos erigit ad cognitionem Entis necessariò existentis, immutabilis, & aeterni, ineluctabile prorsus est.

VI. Cetera, quae ens infinitè perfectum, & provisorem, ac gubernatorem summum suadent, talia profectò sunt, quae tantum stipitem non moveant. Tandemque sufficit caeli, telluris, rerumque, quae caelis, terraque continentur, vel per transennam contemplatio demonstrandae sapientiae, ac omnipotentiae creatrici.

VII. Quid verò de Cartesii demonstrationibus? Elumbes illae sunt, fluxae, planèque vitreae.

VIII. Nè idiota quidem unus, vel agrestis deprehendi

di

di supremi Numinis inscius sine piaculo potest. Vides hinc peccatum philosophicum procul asportatum.

IX. Distinctionem formalem ex natura rei, quae Scoti esse dicitur, ab essentia & attributis Dei longè volumus abesse.

X. Sola rationis ope Divina attributa à se invicem, & ab essentia discriminantur; proinde distinctio omnis intrinsecùs Divina afficiens eliminanda est.

DEUS QUALITER VIDENDUS.

DOGMA TA.

I. **M**Entem creatam indita sibi vi, seu naturali virtute Deum intueri, omnino est impossibile: contra quidquid mentiantur Anomaei, Beguardique stupidissimi.

II. In alterum è diametro errorem inciderunt Armeni, ac Palamitae, intellectum creatum, etiam superno suffultum lumine clara Dei visione posse donari, praefractè negantes. Vah stupiditatem!

III. Non horum conspurcatur errore Chrysostomus; parumque sibi consuluit Vasquesius, dum Anomaeos potius, quàm eloquentissimum Praesulem à labe purgare studuit.

IV. Nec minore temeritate pronuntiat de Hieronymo, aliisque Patribus, quos, qua facilitate ille maculat, nos mundos exhibebimus.

V. Mens humana lumine gloriae donetur necesse est, ut ad divinae naturae obtutum valeat pervenire.

VI. Inaequalis gloria meritis inaequalibus reservatur, excuculate Joviniane.

VII. Creata mens Deum intuendo, ipsum non comprehendit, nec comprehendere valet.

SCHOLAE POSITIONES.

I. **C**orporeis oculis Deum aspici non posse, universa fatetur Theologorum caterva. ; Quid si super-

supernum illis robur adveniat? Neque omnino ita.

II. Quid si spiritualis visio eis adhaereat? Apage commentum.

III. Impar est humana ratio, ut vel possibilitatem divinae visionis viribus deprehendat suis.

IV. Homini puro mortalem degenti vitam nequit ex communi lege clara Dei visio concedi.

V. Si verò sensibus carnis non utatur, potest divina ope Creatoris naturam intueri.

VI. Hac peculiari praerogativa donatum fuisse Mosem, probabile reputamus; ejusdemque privilegii participem facimus Paullum.

VII. Quod Beatorum mentibus non pari gradu divina natura affulgeat, in causa est, si physicè loquamur, sola superni luminis inaequalitas.

VIII. Beatorum mens, etiam Dei operante dextera, ad plenam creatricis naturae comprehensionem evehi nequit. Facessat Vasquesius dum ineptum ac putidum ducere visus est, communem Theologorum sectari sententiam.

IX. Gaudebunt in caelo Beati conspectu naturae, attributorum, & personarum.

X. Neque per absolutam Dei potentiam accidet, ut divina natura sine attributis, aut una persona sine altera videatur.

XI. Non vident tamen Beati quae intra divinae potentiae limites delitescunt possibilia.

XII. Conspiciunt autem inter creaturas praeteritas, praesentes, & futuras, eas, quae speciatim eos, ac praecipuè tangunt.

INCARNATIONIS OECONOMIA.

DOGMA TA.

I. **P**Ronunciatus, promissusque in Scripturis Messias futurus est non purus homo, sed homo simul ac Deus cum hominibus conversans.

II.

II. Illuxisse jam pridem humano generi optatissimum diem adventus Messiae tot ante saeculis desiderati, vel tunc demonstrant caecutientes Judaei, cum pertinaciter negant.

III. Humanae, divinaeque naturae indissolubilem nexum, quem sacer Theologorum coetus *unionem hypostaticam* adpellat, irrito licet conatu, evertere curarunt, virginiei partus, ac Deiparae infensissimi hostes Nestoriani; quos unam tantum in Christo adserendo Personam, eundemque Dei, ac hominis dicendo Filium jugulo impetimus.

IV. Virginum decus Maria adpellationem *Deiparae* promeretur, quum Deum revera genuerit, eumque in utero candidissimo praeformatum sit enixa.

V. Duas contra Eutychem in Christo post adunationem naturas distinctas invicem ac impermixtas omnino propugnamus, non separatim subsistentes, sed in eadem hypostasi, atque persona, unione physica copulatas.

VI. Quandoquidem Nestorium, & Eutychem, insanientis sapientiae consultos erroneos, sumus aggressi, nonnulla libuit ad eorum haeresim spectantia historicè delibare. Ergo Nestorius haeresim ejus nomine adpellatam verè docuit, ac SS. *Deiparam* gloriosa hac spoliare nomenclatura sategit. Ipsum hinc excuset, qui Aethiopem se posse dealbare praesumat.

VII. Concilium Ephesinum à Theodosio quidem juniore convocatum fuit, auctoritate tamen Coelestini I. Pontificis Rom.

VIII. Concilio huic sub ejus initium praefuit S. Cyrillus Pontificis nomine, & auctoritate.

IX. Praefuerunt deinde Arcadius, & Projectus Episcopi, ac Philippus Presbyter, tanquam Coelestini Legati, idem cum eis munus obeunte Cyrillo.

X. Irruit in Nestorium, ejusque gregales B. Cyrillus, eosque litteris, atque anathematismis impetivit, qui limpidissimi omninò sunt, atque ab Apollinarii errore undequaque puri. Neque nostra indiget, si quam pro se ipsemet edidit, consulatur apologia.

XI.

XI. Nestorii causam suscepit Johannes Antiochenus, Ephesinam Synodum ludibrio habuit, damnationem Nestorii rejecit, Cyrilli capitula ceu haeretica proscripsit, aliaque patravit, quae extremum exposcunt Apologistam. Haeresis ergo insimulandus? Minimè verò id quidem.

XII. Mirum quot turbas, quantosque Eutyichiana lues in Oriente excitarit tumultus: Qua damnatur à S. Flaviano in Syn. Constantinop. qua adprobatur in *Praedatoria Ephesina*, ubi divina, humanaque jura fuere pesumdata. Habes causam indictionis Syn. Chalcedonensis, quae auctoritate S. Leonis Rom. Pontif. sanctitate, ac sapientia verè magni congregata fuit.

XIII. Praefuerunt Concilio, tanquam Leonis Legati, Paschasinus Lylibaetanus, Lucentius Asculanus Episcopi, & Bonifacius Presbyter, quibus adjunxit Pontifex Julianum Coensem, saltem ut consiliorum participem.

XIV. Cyri Episcopus Theodoretus, alter eorum, qui Nestorianos foverunt, ac Cyrillum vexarunt, ut ab haereseos suspicione, & contagio se plenè purgaret, meritò haeresim, haeresisque auctorem diris devovere, coactus est.

XV. Bellum Christi humanitati inferunt Gnostici scientia tumidi, ei tribuentes aereum tantum, ac umbratile corpus: quibuscum caecutit Marcion, & delirat iners scriptor Apelles.

XVI. Verbum corpus terrenum è carne ac sanguine compaginatum, non aliunde, sed materna traxit ex carne.

XVII. Rationantem animum, partem humanae naturae nobiliorem, adsumpsit Verbum, sibi que hypostaticè copulavit.

XVIII. Adsumpsit & Dei Filius hominum intellectum, & voluntatem.

XIX. In ipso peccatum, seu actuale, seu originale inquirere, nodum profecto est in scirpo quaerere, lucemque ac tenebras amico foedere niti copulare.

XX. Duae sunt Christo Domino voluntates, eaeque ambae naturales sunt adpellandae.

XXI.

XXI. Fatendum & id, quod consequens: duas nempe reperiri in Christo operationes, nec posse unam dumtaxat propugnari.

XXII. Cave tamen ne inde inferas in SS. Redemptore voluntatum contrarietatem.

XXIII. Fuit verò Christo liberum arbitrium & à vi cogente, & à trahente necessitate.

XXIV. Grassata est saeculo VII. in Orientali Ecclesia Monothelitarum haeresis, Eutythianae surculus, & appendix. Hi duplici Christi natura non rejecta, unam tantum voluntatem, unamque operationem constituere molliti sunt. Hinc meritò ridendus Vasquesius, qui alium Monothelitarum errorem fuisse quasi ex tripode pronuncians, D. Thomam, caeterosque cl. Scholae viros huius haeresis veluti ignaros traducere non dubitavit; cum ipsum error hic adeò longissimè fugerit, ut Constantis *Typum* hominem quemdam haereticum Pauli Constant. Discipulum fecerit.

XXV. Diversas plerosque per annos fortunas subiit Monothelismus, donec VI. Gen. Synodi auctoritate alas demum sistere coactus est. Convocata haec fuit Agathonis Papae consensu, & auctoritate, ab Imperatore Constantino Pogonato.

XXVI. Praefuerunt Synodo Theodorus, & Georgius Presbyteri, ac Johannes Diaconus Agathonis munera implentes.

XXVII. Interfuit & omnibus ferè actionibus piissimus Imperator, non ut iudicem, sed ut defensorem ageret.

XXVIII. Diem ergo veneranda Synodus dixit Monothelismo, contra quem pro fide intrepidus steterat Hierosolimorum Patriarcha Sophronius, Sergii calumniis apud Honorium Pont. propterea vexatus. Hic haeretici litteris nimium tribuens, oportunum ratus est, utrique parti silentium indicere, censuitque abstinendum deinceps à vocabulo unius, vel geminae voluntatis. Ideo revera à Synodo VI. fuit damnatus.

XXIX. Honorius in suis ad Sergium epistolis Monothelitarum sensa, aut haeresim haudquaquam probavit;
nec

nec uti haereticum eum sexta Synodus damnavit.

XXX. Deus Homo Christus verè ac propriè suis pro nobis operibus meruit.

XXXI. Cur ergo Verbum Patris mortalitatem nostram adsumpsit, cur è cruce pependit, nisi profusso pretiosi sanguinis lytro nos à captivitate reduceret, eiceret principem tenebrarum; diriperet inferni spolia? Diripuit igitur, eiecit, reduxit; verbo, pro nobis satisfecit.

XXXII. Redemptio nostra pretio oblato peracta est, non una Domini Jesu praedicatione & exemplo.

XXXIII. Christus Dominus verè Sacerdos fuit, & Hostia pro peccatis nostris oblata.

XXXIV. Sacerdotium Christi aeternum est, & secundum ordinem Melchisedech.

XXXV. Sanctissimi Redemptoris sacras Imagines, nec non purissimae ejus Matris, Sanctorumque aliorum pie, licitè, ac utiliter veneramur, & colimus. Qua positione Iconomachos, homines scilicet ad interturbandam Ecclesiae pacem natos, exsuflamus.

XXXVI. Christum ipsum Dominum *latriae* cultu adorandum, tam certum est, quàm quod certissimum.

SCHOLAE POSITIONES.

I. **D**ivinae Incarnationis altissimi, sacratissimique mysterii possibilitate gaudemus catholici, ethnici nihil contra evincent.

II. Incarnationis possibilitatem si ratione demonstrare velis, cum ratione profectò insanies. Sola revelatione cognoscitur, quae quibusnam fuerit concessa, abundè ex me nosces.

III. Incarnatio Verbi Angelis, hominibus; verbo, toti universo convenientissima fuit. Numquid & Deo? Id utique adsero.

IV. Haec Verbi inhumanatio non ita convenienter facta fuisset in exordio, aut exitu mundi; convenienter peracta est in temporis plenitudine.

V. Cave dicas necessariam omninò ad humani generis

ris reparationem Incarnationem ; fuit improprie tantum, seu secundum quid.

VI. Homo purus condigne pro lethali peccato satisfacere nequibat. Ad id ergo necessaria Incarnatio.

VII. Quilibet autem homo in justitia constitutus pro levi, seu veniali macula potest justum debitum exsolvere.

VIII. Sciscitanti ad quae peccata delenda venerit Christus, ad actualia reponam & originis ; ad hoc tamen praecipue.

IX. Christum Dominum personam ex duabus naturis compositam dicere, quid est quod renuam ?

X. Humanae naturae unio ad Verbum substantialis dicenda est, nullo modo accidentalis. Adpellabo quoque eam naturalem, omnium maximam, perpetuam, indissolubilem.

XI. Incarnationem nec veteris testamenti Patres, nec ipsa Verbi Divini Mater, potuit de condigno mereri ; potuit tamen de congruo.

XII. Tota Trinitas Incarnationem operata est, nec creaturarum ulla tantum opus valet efficere.

XIII. Beata Virgo non fuit instrumentalis causa conjunctionis humanitatis ad Verbum.

XIV. Persona nulla creata, imò nec earum ulla, quae inter possibles delitescunt, alienam valet terminare naturam: est id Divinae Personae proprium jus.

XV. Verbum Patris in singularitate Personae, non in unitate naturae alienam naturam proxime terminavit.

XVI. Etsi convenienter naturam humanam prae aliis adsumpserit Deus, potuit tamen quamcumque creatam naturam sibi copulare.

XVII. Dum Filius Dei naturam induit humanam, verum ac naturalem accepit sanguinem, sibi que hypostaticè univit.

XVIII. Anima, corpus, tota humanitas, eodem temporis momento fuere à Verbo accepta. Si verò ordines, intensionis, & executionis, ratione discernas, aliter res se habet pro rationum momentis.

XIX.

XIX. Beatissimam Christi Animam per gratiam, ut ajunt, substantialem unionis *formaliter*, seu verè ac propriè sanctificatam volumus.

XX. Non sanctificatur tamen per Verbi personalitatem *qua personalitas est*, sed ut divinitatem secum adducit.

XXI. Habuit praeterea Christus sanctitatem accidentalem, sivè habitualement gratiam.

XXII. Creatam hanc gratiam à primo habuit conceptionis instanti, quin propterea unionis hypostaticae proprietatis physica sit dicenda.

XXIII. Virtutibus omnibus supernaturalibus fuit ornata adsumpta humanitas, si fidem, spem, atque poenitentiam demas, quibus carere summa fuit perfectio.

XXIV. Fuerunt & in Christo virtutes cunctae naturales, quae per se adquisibiles dicuntur.

XXV. Decorata fuit etiam Christi Anima Spiritus Sancti Donis omnibus.

XXVI. Donata fuit insuper iis omnibus gratiis, quae gratis datae nuncupantur.

XXVII. Abundavit animus Christi omni plenitudine gratiae, haudquaquam tamen habuit infinitam.

XXVIII. Christus, qua homo, super universam Ecclesiam dignitatem obtinet capitis: quod non secundum animam habet tantum, sed & secundum corpus.

XXIX. Christus est actu caput fidelium omnium etiam peccato inquinatum; ast imperfectè.

XXX. Haeretici quicumque, vel tantum occulti, Christi Dom. haud censendi sunt membra.

XXXI. Idem esto iudicium de primis parentibus in statu innocentiae constitutis.

XXXII. Est Christus propriè & verè caput Angelorum; non ita tamen perfectè ac hominum.

XXXIII. Unam tantum influit in Angelos Christus gratiam & gloriam accidentalem, secus verò essentialem.

XXXIV. A gratia habituali, non à gratia unionis in Christum descendit capitalis dignitas.

XXXV. Habuit etiam in hac mortali vita Jesu anima

ma Beatorum scientiam, viditque adhuc in via gloriam & divinitatem.

XXXVI. Hac scientia à primo conceptionis instanti pollebat Christus.

XXXVII. Quamquam Christi anima clarius quam quaevis creatura divinam intueatur naturam, non tamen eam comprehendit, nec quidem id valet.

XXXVIII. Anima Christi per beatam scientiam omnia praesentia, praeterita, & futura in Verbo cognovit; non verò possibilis cuncta.

XXXIX. Hanc praeter scientiam beatam, fuit Christi mens scientia infusa, eaque perfectissima, decorata.

XL. Ea Christus cognovit naturalia omnia, & supernaturalia; igitur & cordis latitantes cogitationes.

XLI. Pollebat quoque Christus scientia per se adquisibili, & experimentalis, eamque propriis adquisivit actibus.

XLII. In ea Christus scientia profecit, quin tamen aliquid ab Homine, seu ab Angelo didicerit.

XLIII. Excellentem operandi virtutem inesse Christi humanitati, fatemur cuncti; omnipotentiam autem habuisse, aut potuisse habere, inficiari tenemur.

XLIV. Jesu Domini humanitas, seu in terris degens, seu coelis adsistens, est, & fuit physica instrumentalis causa gratiae, & miraculorum.

XLV. Nihil Christus voluit voluntate absoluta per aliquem adimplendum, quod non fuerit factum.

XLVI. Christus Dom. humanis iis adfectionibus obnoxius fuit, quae Verbi incarnati dignitatem haudquam dedecent.

XLVII. Quos adsumpsit Jesus defectus, non peccati debito, sed propria voluntate contraxit.

XLVIII. Visionem divinitatis Animae Christi conferre firmissimam, perpetuamque non peccandi virtutem, arbitror extra litem. Sed hinc potissimum derivantibus Salvatoris nostri impeccantiam, (sit verbo venia) adeò ut visione privatus divinitatis, (si capere tamen id vales) foret voluntas Christi capax peccati, non adsentior.

XLIX.

XLIX. Concupiscentia , seu peccati fomes in Christo nec actu fuit , nec potuit esse , seu eam *in actu primo* consideres , seu *in secundo*.

L. Anima Christi re vera fuit passionis capax , passionisque suscepit.

LI. Fuit in Christo sensibilis dolor , fuit & tristitia , & timor , & ira.

LII. Enuntiationes hae , *Deus est Homo* , *Homo est Deus* verae sunt reapse , ac etiam propriae.

LIII. Propositionem hanc , *Deus factus est Homo* , constanter teneam ; hanc , *Homo factus est Deus* , firmiter rejiciam.

LIV. Cave ne simpliciter huic assentiaris dicto , *Christus est creatura*.

LV. Unus & unum dicendus est Christus , haud tamen duo.

LVI. Etsi duabus naturis donetur Christus , una tamen praeditus est existentia , Verbi scilicet.

LVII. Impositum fuit Christo Dom. strictum moriendi praeceptum , nedum mortem ipsam attingens , sed & ejus circumstantias.

LVIII. Hoc stante praecepto , summa stante Christi impeccantia , liberrimè tamen mortem subiit.

LIX. Sibi Christus gloriam corporis meruit , nominis exaltationem , & alia , quae ad exteriorem ejus excellentiam pertinent bona.

LX. Nusquam autem evinces , sibi gratiam habitua-lem , aut essentialem gloriam promeruisse.

LXI. Nobis Christus meruit gratias actuales , gratiam justificantem , gloriam , auxilia omnia , supernaturalia dona , ac omnes nostrae praedestinationis effectus.

LXII. Angelis verò gratias tantum accidentales promeruit , non gratiam , aut gloriam primariam.

LXIII. Christi opera , nedum ex Dei acceptatione , sed ex intrinsecis etiam , infiniti fuere praetii , & ad meritum , & ad satisfactionem.

LXIV. Satisfactio Christi nedum aequivalens fuit , verum & superabundans.

LXV. Nihil in Christi satisfactione repertum, quod ad severas justitiae leges non sit exactum.

LXVI. Christus Jesus ut Homo verè Servus Dei est servitute naturali.

LXVII. Christus pro nobis in mundo oravit, etiamque nunc in coelis existens interpellat proprissimè.

LXVIII. Oratio Christi, quae à voluntate efficaci deliberante ratione procedebat, fuit semper à Patre exaudita.

LXIX. Jesus-Christus, etiam ut homo est, non est Filius Dei adoptivus adpellandus.

LXX. Felix, & Elipandus filiationem Christi adoptivam adstruentes, ne latum quidem unguem à Nestorio declinarunt.

LXXI. Christus ut homo praedestinatus est ad filiationem Dei naturalem.

LXXII. Praedestinatio Christi est causa exemplaris, finalis, & meritoria nostrae praedestinationis.

LXXIII. Divinitas Christi, ejusque humanitas eadem adoratione patriae adorandae sunt.

LXXIV. Si verò humanitatem per mentem à Verbo praescindas, poteris eam cultu inferiori, ob creatas ejus perfectiones adorare.

LXXV. Imagines Dei, atque Angelorum possunt coli, itemque depingi.

LXXVI. Prout diversa ratione Sacras Imagenes consideres, aequali, aut minore adoratione ac prototypus, erunt dignae.

LXXVII. Crux Christi, sive in qua pependit, sive ad ejus similitudinem efficta, reliquae illius Reliquiae, necnon Sanctorum, cultum ac venerationem promerentur.

LXXVIII. Quantacumque sit Almae Deiparae excellentia, nusquam tamen patriae cultu adoranda.

SACRAMENTA IN UNIVERSUM.

DOGMA TA.

- I. **N**Ovae legis Sacramenta rebus, *tamquam materia,* & verbis, *tamquam forma,* perficiuntur.
- II. In sacramentorum collatione nihil nos cogit, ut tamquam eorum essentiae partem concionem praemittamus, qua fideles evangelica imbuantur doctrina, deque eorum institutione, ac effectibus instruuntur.
- III. Ea verba, quae formam sacramentorum efficiunt, non sunt promissionis, aut concionis, sed consecrationis tantummodò; fraemant licet Lutherus, & Calvinus.
- IV. Sacramenta novae legis *ex opere operato* producunt gratiam, qua innovamur, perficimur, aeternaeque haereditatis pignus datur nobis, & arrha.
- V. Quaedam novae legis sacramenta characterem conferunt, Baptismus, scilicet, Confirmatio, & Ordo, non quatuor alia.
- VI. Omnia Sacramenta sunt à Christo Domino instituta. Declinandi igitur haereticorum loquacissimi.
- VII. Non singulos quosque homines quorumlibet sacramentorum esse ministros, contra Lutherum toto ore clamamus.
- VIII. Valet sacramentum ab improbo, scelestissimoque ministro collatum, modò nihil eorum desit, quae ad illius constitutionem sunt necessaria, materia nempè, aut forma, aut intentio.
- IX. Novatorum rejicimus placitum de valore Sacramentorum non obstanti ludificatione, & irrisione quacumque. Ratum est Sacramentum, si Minister in animo proponat facere quod facit Ecclesia, secus non item.
- X. Quandiu id haeretici praestiterint, valebit eorum Baptisma, nec ab eis baptizati erunt iterum baptizandi.
- XI. Haereticis quamplurimis, ac nonnullis catho-
cis

cis solemne fuit baptismum iterare: hos inter in scenam prodiit Carthaginensis Episcopus Cyprianus. Quorumdam aliorum PP. obscura est, & ambigua sententia.

XII. Non existimavit Cyprianus cum ei assentientibus Collegis controversiam de haereticorum baptismo ad fidem pertinere, sed tantum ad disciplinam.

XIII. Obstitit Cypriano zelo verè catholico Stephanus Romanae Sedis Antistes. Senserit is necne de rebaptismo litem fidem spectare, tamen ex cathedra tamquam Ecclesiae dogma rem non definit.

XIV. B. Stephanus vaticana fulmina in Cyprianum, Firmilianum, rebaptizantes aliosque minitatur, re tamen à sui communiione non dimovit.

XV. Num Cyprianus à propria recesserit tandem sententia, incertum mihi omninò; est attamen praesumptioni locus.

XVI. Plura licet sint, quae rebaptizantium, praesertim Cypriani, excusent erratum, non ab omni redent labe immunes.

XVII. Stephani decreto non omnium promiscuè haereticorum probatur baptisma, sed illud dumtaxat, quod evangelicis verbis fuerit consecratum.

XVIII. Concilium plenarium, cujus auctoritate, adserit Augustinus, finitam fuisse unius baptismatis disceptationem, puto fuisse Nicaenum.

XIX. De Sacramentorum numero dicturis bellum intentant Novatorum phalanges, qui modò unicum admittunt, nunc duo, tunc tria, aliquando quatuor, nonnunquam sex. Cui fidem? unicè Catholicis septem, nec plura, nec pauciora, fatentibus; scilicet illa, quorum cum lacte suximus nomina.

XX. Sacramenta non ita sunt inter se paria, non ita aequalis eorum dignitas, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, & excellentius.

SCHOLAE POSITIONES.

I. **H**AERETICI homines, *Sacramenti* nomen procul eliminare tentantes, *signi, vel symboli* vocabulum

lum substituunt. Nomen itaque illud in Ecclesia jure meritoque retineri, venit principio statuendum.

II. Saepe numero Sacramenti vocabulum ad plura significanda usurpatur; propriè nos illud accipimus pro signo rei sacrae, gratiae praesertim spiritualis, atque invisibilis.

III. Est itaque Sacramentum signum quoddam ad placitum, practicum, sacrum, stabile quidem, ac permanens.

IV. Rebus sensibilibus perficiebantur antiquae Legis sacramenta, perficiuntur & novae, idque eorum natura, quatenus homini est adcomodata, exquirat.

V. In novae Legis Sacramentis rebus sensibilibus convenienter verba sunt adjuncta.

VI. Sacramentorum materia, & forma eorum sunt partes intrinsecae, & essentiales.

VII. Res & verba in novae Legis Sacramentis fuerunt à Christo praescripta, debueruntque praescribi.

VIII. Sacramentum irritum manet, si in materia, aut forma mutatio contingat substantialis; secus si accidentalis tantummodo elementi, verborumque substantiam integram relinquendo.

IX. In conficiendis Sacramentis uti materia, aut forma tantum probabili, certa, vel tutiori relicta, nefas est; ni extrema urgeat necessitas.

X. Ob moralem de invaliditate Sacramenti certitudinem, post diligentem, adcuratissimamque rei inquisitionem, fas uti est formula conditionali. Levi pulsante dubio nefas.

XI. Sacrilegii reus est, qui substantialiter verba sacramentalia immutat; nec à reatu erit immunis, qui formam sacramentorum accidentali tantum mutatione corrumpit, nisi ignorantia laboret ineluctabili.

XII. In eo felicitatis statu, dum brevi originalem justitiam in Paradiso voluptatis Adam servavit, non extiterunt sacramenta, nec extitissent unquam, diu etsi perseverasset.

XIII. In lege, quam naturae dicimus, aliquod pro
par

parvulis gratiae signaculum, & sacramentum extare debuit, extititque. Idem tene de adultis.

XIV. Extra litem, reor, positum, in lege scripta sacramenta extitisse aliqua, & quidem à Deo instituta.

XV. In nova lege fuisse instituenda sacramenta, inficiabitur nullus; si eos excipias, qui se solo interiori spiritu agi autumantes, visibilibus signis nullis utuntur.

XVI. Sacramenta, quae justificationis instrumenta, & gratiae sunt, verè hanc physicè caussant, non tantùm moraliter.

XVII. Baptismus, & Poenitentia, quae vulgari sermone sacramenta *mortuorum* dicuntur, primam per se conferunt gratiam: Cetera, quae *vivorum* adpellantur, caussant secundam.

XVIII. Sed & *mortuorum* sacramenta secundam, & *vivorum* primam gratiam ex accidenti aliquando producant.

XIX. Quae specie differunt sacramenta ex se inaequalem conferunt gratiam: aequalem quae solo numero sunt distincta. Attenta tamen suscipientium dispositione, quo haec fuerit perfectior, major gratia caussatur, vel ab eodem specie sacramento.

XX. Ad primarium sacramenti *mortuorum* percipiendum effectum, attritio saltem supernaturalis pro adultis requiritur.

XXI. Ad effectum percipiendum sacramenti *vivorum* status sufficit gratiae.

XXII. Gratia sacramentalis ab habituali gratia non est entitate diversa, aliquid tamen supra eam addit.

XXIII. Veteris Legis sacramenta non habebant vim ex opere operato caussandi gratiam.

XXIV. Circumcisio gratiam conferebat parvulis ex opere operato quidem, sed, ut ajunt, passivè tantùm.

XXV. Christus Dominus immediatè omnia Legis novae sacramenta instituisse dicendus est. Haec positio adeò est certa, ut eam negare, non periculosum modò, verum & erroneum sit.

XXVI. Solus viator homo ordinarius est sacramentorum minister. Extraordinaria tamen potestate possunt Sanc-

Sancti Angeli , & in coelo regnantes beati sacramenta conficere.

XXVII. Minister solemnitatis lethalis culpa sibi conscius , etsi validè sacramenta conficiat , impiè & illicitè eadem conficit , atque administrat. Idem esto iudicium de aliis sacrorum Ministris , Diaconis praesertim. Etiam Divini Verbi concionatores , si publico illi notentur vitio , graviter delinquere pronuntio.

XXVIII. Minister , quem gravi sceleris conscientia gravat , ut à peccato indignae tractationis sit immunis , non tenetur confessionem praemittere sacramentis conficiendis , aut distribuendis : tamen non sufficit attritio , sed necessaria est contritio , prudenter saltem existimata. De Eucharistia nolumus hic habere sermonem.

XXIX. Probarem hominis consilium , qui extra necessitatis casum impium non adit Sacerdotem : in casu verò necessitatis licitè à quocumque Ministro recipitur Baptismus , & Poenitentia.

XXX. Extra mortis periculum , si tamen justa adsit causa , & facilè alius haud potest haberi Minister , poterit quilibet pessimum ministrum convenire , sive Parochus ille sit , seu non.

XXXI. Nullum & irritum futurum est sacramentum , si in Ministro sit sola intentio faciendi ritum externum , geratque ille in animo suo latentem deliberationem non faciendi rem sacram , ut fieri solet in Ecclesia Dei , etiamsi materiam adhibeat , formam proferat , & contraria deliberatio nulla externa irrisione se prodatur.

XXXII. Ut Sacramentum validum , ratumque sit necesse non est , ut minister intendat illius effectum , vel habeat in animo illud peragere , quod solemnè ritu fit in Ecclesia Romana , seu explicatè credat esse ritum illum re sacram , ac salutiferum ; sed sat est id proponat facere , quod in Christi Ecclesia perficitur , qualiscumque ea sit , & qualiacumque ejus sint mysteria.

XXXIII. Actualis intentio , omnium optima , necessaria non est ad Sacramenti valorem : sufficit virtualis : habitualis , & interpretativa non item. At de conditionata certis , servatisque regulis proferendum est iudicium.

XXXIV.

XXXIV. Sacramenta pro solis hominibus viatoribus sunt instituta : illi ergo tantum ordinarium sunt eorum subjectum.

XXXV. In adultis sacramenta suscipientibus , si Eucharistiam demas , necessaria est ad illorum integritatem intentio interna ea suscipiendi , ceu rem in Ecclesia sacram , & quam illa solet conferre.

XXXVI. Occulto peccatori occultè poscenti , publico item , sive clam sive in aperto petat , extra mortis discrimen , neganda sunt sacramenta : Poenitentiam tamen excipimus , & Matrimonium nonnumquam.

XXXVII. Ecclesia cerimonias instituendo jure suo minimè est abusa , illasque rectè , prudenterque praescripsit , ac praescribere potuit.

XXXVIII. Praescriptae cerimoniae sedulò veniunt observandae : ea propter nequeunt illae haberi despiciatui , aut pro lubitu omitti , seu in alias per quemcumque Ecclesiae Pastorem commutari.

XXXIX. Institutae cerimoniae sunt non ob ministrorum tantùm commodum , non tantùm ob divini cultus decorem , sed ob mysticam praecipuè , ac symbolicam significationem.

XL. Quae Sacramentalia dicuntur levia non abstergunt peccata ex opere operato , sed ex operantis opere tantùm , ac per modum impetrationis cujusdam.

APPENDIX.

EXaratis hucusque positionibus numeri nostri fuisset abundè satisfactum , nec aliqua ex parte officio nobis imposito defuissemus : cum tamen iis , quos in exercitationibus nostris litterariis duces veneramur ac magistros , non abs re visum fuerit , ut summis saltem labris

ea

ea attingeremus , quae ad Christi Domini histographiam pertinebant (quandoquidem de ejusdem Incarnatione sermo erat instituendus) , ut vel sic tantum non jejuni essemus ; subsecivis horis , ac privata opera ea libavimus , quorum è vestigio specimen exhibemus.

I. Celebre Jacobi vaticinium , *Non auferetur sceptrum de Juda , & Dux de femore ejus, cet.* ad amussim in Christi Nativitate fuit adimpletum. At , bone Deus ! quot, quantaque narrant somnia Judaei obcaecatissimi.

II. In Jacobea praedictione nomine *Judae* non una specialis Tribus , sed tota gens Judaica intelligenda venit.

III. Herodes , quo rerum potente natus est Christus , etsi Religione Judaeus , Idumaeus tamen ipse fuit, & alienigena Judaeorum respectu.

IV. Undecumque septuaginta Danielis Hebdomadae initium sumant , invictissime eo oraculo demonstratur Messiam jam pridem venisse , eumque non alium esse, quam Christum Jesum.

V. Aggaeus , & Malachias Christum quoque nostrum praedixerunt luculentissime.

VI. Messias Lege promissus nasci debuit Bethleem Judae è Tribu Judae , ac stirpe David.

VII. Christus sacris oraculis praenunciatus , non Judaeos tantum , verum etiam Gentiles , ad se vocaturus erat ; aboliturus erat quoque Idololatriam : utrumque praestitit Jesus.

VIII. Leviticum veteris legis Sacerdotium , tametsi divinitus institutum , certo dumtaxat tempore erat duraturum , finemque sub Messiae temporibus habiturum. Illud Mariae Filius ablegavit , novumque instituit.

IX. Mosaica Lex , miraculis etsi sancita , ac prodigiis confirmata , à futuro Messia erat rescindenda , eliminanda , antiquanda : quod non sine stomacho conque-

run-

runtur Judaei, Jesum nostrum praestitisse.

X. Christus Dominus secundum carnem è familia, ac radice David descendit.

XI. Christi genealogiam contexunt Matthaeus, & Lucas. Nec te eorum moveat in verbis discrepantia, quae nulla in re profectò est; cum alter carnalem Christi progeniem, legalem alius describat.

XII. Beatissima Virgo nullo prorsus vexata dolore Filium suum fuit enixa; non per latus quidem, sed consueta partus via.

XIII. Christum Dominum nascentem secundinas pelles secum asportasse, non est cur adserere timeam, cum nullo inde pacto Matris, aut Prolis dignitati praejudicetur.

XIV. Natus est Christus in Civitate Bethleem è Judae Tribu.

XV. Non intra, sed extra urbis maenia, seu in ejus suburbio, in spelunca diversorio conjuncta brutis animalibus destinata, lucem hanc vidit Jesus.

XVI. Perperam ab aliquibus risu excipiuntur, quae de brutis ad praesepe Domini accubantibus Christianus populus sibimet persuasit.

XVII. Cum universa tam Graeca, quam Latina Ecclesia constanti Majorum Traditione tenemus, natum esse Christum vicesima quinta Decembris.

XVIII. In ipso noctis meridiè in hanc exterminii terram prosilivit Redemptor.

XIX. Magi Christum adoraturi non advenerunt Jerosolymam biennio post ejus nativitatem, sed decimatertia tantum die.

XX. Magos hos Regulos fuisse, atque Toparchas, res est valde probabilis; mihi quidem planè persuasi, plurimum licet succenseas.

XXI. Adorarunt Magi puerum Jesum latriae cultu, non civili dumtaxat, qualem Orientis populi Regibus suis praebere consueverunt.

XXII. Christi Dom. circumcisio non in Templo, aut Synagoga peracta est, sed in spelunca Bethleemitica, aut vicina domo.

XXIII. Non à Pontifice summo, non à Sacerdote aliquo

aliquo, sed ab alterutro Parente Jesus circumciscus fuit. Hinc ride Pictores, si sapis.

XXIV. In hac terra nostra sacrum suum reliquisse praepitium Jesum-Christum, opinor: locum tamen, in quo ille colatur, aegrè mihi commonstrabis.

XXV. Verba illa *Luc. c. 2. Postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum Legem Moysi*, ad Mariam sunt referenda, minimè ad Filium.

XXVI. B. Virgo legi Purificationis pro puerperis datae non erat summo jure adstricta: se tamen illi rectè subjecit.

XXVII. Nec primogenitorum lege ligabatur Christus: attamen congruè eam adimplevit.

XXVIII. Herodes Infantium caedem edixit, non duobus post Christi Nativitatem transactis annis, sed statim post Purificationem & fugam in Aegyptum.

XXIX. Si occisorum Infantium numerum patefaceres, alter mihi fores Apollo: nam Graecorum Menologia hac in parte rideo.

XXX. Christus à Joanne baptizatus est anno aetatis suae circiter tricesimo.

XXXI. In Jordane prope Bethaniam, quae nomine alio dicebatur *Bethabara*, ablui voluit Jesus.

XXXII. Prodigia, quae Christi baptismum comitantia referunt Evangelistae, non in ipso baptismo, sed eo peracto, evenerunt.

XXXIII. In eam facillè descendo sententiam, quae nec speciosum nimis ac insigniter venustum adserit, neque facie turpi atque deformi, Christum Jesum; sed decenti ac mediocri oris forma.

XXXIV. In eo positam fuisse Domini Transfigurationem putamus, quod immutata manente corporis & faciei figura, splendorem clarissimum Solis ad instar emisit.

XXXV. Proditor Iscariotes triginta argenteis universorum Dominum vendidit; sed facti postmodum poenitens, in desperationem actus laqueo sese necavit. Quanti triginta illi nummi penderent, non est exploratum omnino.

XXXVI. Immanissimè Jesus flagellis caesus fuit. Numerum quidem verberum definire non ausim; attamen opinionem adserentium Christi flagellationem non fuisse di-

diram adeò, & cruentam, ut tradi solet, jure ac meritò ceu *Dominicae* passionis atrocitati derogantem rejicio.

XXXVII. Flagellis addidere milites coronam spineam, coccineam chlamidem, & pro regali sceptro arundinem. Invaluit opinio coronam illam è marinis juncis fuisse contextam. Censeo nihilo tamen minus plexam eam fuisse ex illo spinarum genere, quod rubum adpellant, aut rhamnum.

XXXVIII. Christo in *Calvariae* montem crucifixi pergenti in occursum venisse fertur pia mulier, lineoque aut bombycino velo manantem è Jesu vultu sanguinem abstersisse, expressa divinitus in panniculo sacrati vultus imagine. Nos de *Veronica* cum plebe sentire inglorium non putamus.

XXXIX. *Cruce Domini* duobus lignis arrectario scilicet ac transverso fabricata est. Fuisse ex robore, aut quercu, res est planè incerta, in eademque sumus haesitatione circa ligni suppedaneum.

XL. Subscribo existimantibus suffixum cruci *Servatorem* quatuor clavis, quibus confosus animam tandem pro nobis egit, occidentem, ut traditur, spectando.

XLI. Probabile valde judicamus, *Pilatum Caessari Tiberio* gesta & miracula Christi, ejus mortem & resurrectionem nuntiasse, indeque *Tiberium* tentasse Christi *Apotheosim*.

XLII. Fama virtutum & miraculorum Christi extra *Judaeam* resonante, fertur ad eum *Epistolam* dedisse *Abgarum Edessenorum Toparcham*, & vicissim *Domini* litteras recepisse. Quamquam ergo is non sum, qui possum ejusmodi *Epistolas* genuinas demonstrare, dubito tamen, quin aliquis spurias mihi demonstraturus sit.

XLIII. Testimonium, quod de Christo perhibuit *Flavius Josephus*, genuinum est, non supposititium, atque incertum.

XLIV. *Sybillarum* oracula non sunt *Christianorum* figmenta; licet non omnia, quae earum libris continentur, carmina genuina sint, & incorrupta.

Haec pro unius anni curriculo sint satis; illa autem, quae minus arrideant, spongiae, ferro, *Vulcano* trade.

F I N I S.



